

etum munimentum ; *Peiz* virginitatis nondum expugnatae laudem fert. In POMERANIA *Stargardia* & *Colberga*. In MAGDEBURGICO ducatu vrbs eiusdem nominis castello munita , *dem neuen Citadell* : In HALBERSTADIENSI principatu *Regenstein* : in MINDENSI *Minden* & *Lipstadium* : in CLIVENSI ducatu *Wesalia* : in RAVENSBERGENSI *C. Sparenbergum*, & quae sunt generis eiusdem.

In transcurso singulorum rationes habitae sunt , ostensis commoditatibus , quas hinc inde disiectis regionibus haec munimenta praestant.

§. XVI. Ad praesidia tot munimentorum magnus militum numerus domi requiritur. Hinc non leue potentiae Porufforum Regis argumentum est , quod is in exteris regionibus ad *quadragenta millia* militum aluerit, qui in nouissimo bello egregiam Belgis operam praestiterunt.

Et enim facile ad aestimandum erit , reditus e tot amplissimis prouinciis regali diademate dignissimos esse. Summatim ; fruitur REX noster fortuna , quam patres nostri coelo exorauerunt ; nostris autem votis id vnice relictum esse videtur , vt praepotens Numen futuris etiam seculis addat PERPETUITATEM. () (**)*

CA.

(*) De Lusatia inferiori maxime.

§. I. Principio Lusatia, vt alii plures marchionatus, Misnensibus fuit addicta , a Venedis tamen possessa , quorum lingua vtuntur incolae hodieque.

§. II. Marchiones Brandenburgici, in societate archiepiscopi Magdeburgici, Lusatiam inferiorem belli iure occuparunt, destitueruntque ea Fridericum admorsum sec. 13.

Fabricii Saxon. El. 6. p. 599.

Schurzfl. Zwanzig.

§. III. Exinde Lusatia innexa fuit Brandenburgici, adeo, vt etiam Boiici marchiones titulo Lusatiae vterentur. Lundorp. tom. I. p. 809.

§. IV. Verum, quod Bohemi Lusatiam superiorem possiderent, etiam inferiorem adfectarunt, adeoque Iohanni Luzenburgico Lusatia cessa fuerat cum a Marchionibus Brandenburgicis, tum ab archiepiscopo Magdeburgico feudi domino.

§. V. In bellis Bohemicis ob auxilia praestita rex Vladislaus 1443. Friderico II. cessit Lusatiam inferiorem vniuersam.

Dubrauius, Boregk, Cerintius.

§. VI.